

DISPUTATIO

DE

1618, 16 35.  
18

# SERVITUTIBUS REALIBUS,

QVAM

DEO TRINUNO FORTUNANTE  
Scitu & auctoritate Magnifici ac Nobilissimi  
in Illustri Salanâ Jctorum Ordinis,

SUB PRÆSIDIO

Dn. EMMERICI *Wesserkorn*  
CRUCISB: TYRIGETÆ.

*Exercitii gratia Præstantiss. ac Politiss. suis  
Dnm. Collegis ad placidam disquisitionem  
proponet*

JOACHIMUS DITMARUS  
Saltzungenfis Tyrigeta.

*Ad diem Junii hora & loco consuetis.*

F E N Æ

EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOHANNIS  
BEITHMANNI,

ANNO MDCLXVIII.





*Amplissimis, Spectatissimis, nec non Prudentissimis Viris,*

**Dnn. CONSULIBUS,**  
ut & cæteris Reipub. Saltzungenfis Senatoribus dignissimis, Mecœnatibus, Promotoribus, ac Favoribus suis, omni observantiæ studio, vultu, ac cultu æviternum prosequendis.

**NEC NON**

*Honoratiss. & vitæ integritate conspicuo Viro,*  
**Dn. ANDREÆ DITMARO,**  
Reipub. ejusdem Senatori vigilantissimo,  
Parenti æternâ pietate ex filiali  
affectu venerando.

*Tyrocinium hoc Juridicum in addictissimis  
cultus, deditissimi vultus qs. sacramentum  
offert, dedicat, consecrat*

**Joachimus Ditmarus,**  
Respondens.



## THESIS I.



*Servitus a est jus b serviendi in re c aliena d ad usum alterius aliqujus prædii e vel personæ f constitutum.*

a) Ita dicta, quod usibus nostris inserviat, *Althus. 1. J. R. 6.* Servitus autem hîc non significat statum hominum, cum quis alieno dominio contra naturam subjicitur, quemadmodum accipitur in *S. servitus. Instit. de jur. pers. & in l. 4. §. 1. ff. de statu hominû.* Sed dicitur respectu rei alienæ, quæ servit vel nobis, vel prædiis nostris, *Oldend. class. 3. act. 4. pag. 275. Borch. ad pr. Instit. de servitut. rustic. & urban. præd. n. 1.* b) *§. fin. Instit. de rebus corp. & incorp. l. 1. ff. de servit. l. 2. in pr. ff. de S. R. P. l. 1. ff. de S. P. R.* c) *l. qui fundum 12. ff. quemadmodum servitutes amittuntur. S. constituitur 2. Instit. de usufr.* d) res enim sua nemini servit. *l. 26. ff. de S. V. P. l. 32. in fin. ff. de S. R. P. l. 5. in pr. ff. si ususfructus petatur. l. 10. ff. com. prædiorum.* cui non obstat, quod servus domini sui proprius sit, & ei serviat, cum hoc fiat non jure servitutis, sed jure dominij, quod ex servitute profluxit, quâ ratione & omnes res nostræ servire nobis dicuntur, *Wesenb. in parat. ff. de usufr. nu. 6. Oldend. d. loc. p. 276. Dn. Arum. Exerc. Justin. 5. tb. 1.* e) *l. quotiens. 15. ff. de servit.* f) *d. leg. quotiens. 15. Vult. 1. J. R. 63. n. 2.*

## THESIS II.

*Servitus est duplex realis & personalis a, Realis b est jus prædii, quo ei c prædium alienum ser-*

*A 2 vit*

*servit d: personalis est jus personæ, quo personæ res aliena servit e.*

a) *l. 1. ff. de servit. l. 32. ff. de usufr. l. 20. ff. de S. R. P. quod perspicitur ex eo, cui servitus debetur, ut si personæ servitus debetur, illa personalis sit, si verò rei, realis perhibeatur. Don. 9. com. 22. Dn. Aru. Exerc. Just. 5. tb. 2. Diss. vulgò Dd. Accurs. in l. 1. ff. de servit. Cæpoll. in tr. de servit. urb. præd. c. 1. nu. 1. & seqq.* Appellatione autem servitutis in ll. nostris simpliciter factâ denotatur servitus realis vel prædiorum, quia hæ servitutes semel constitutæ prædio coherent, & prædium sequuntur, fiuntq; ut prædium perpetuæ. *l. 23. §. 2. ff. de S. R. P. l. 12. ff. com. præd. personales verò unâ cum persona extinguuntur l. 1. §. & datur. 43. ff. de aqua quotid. & æstiv. Don. 11. com. 10.*

b) Sic dicta ad differentiam personalium *l. 1. ff. de servit.* tametsi istæ reales dicantur etiam prædiales à prædiis, sine quibus constitui nequeunt. *§. ideò. Instit. de servit. rusticor. & Urbanor. l. 1. in fin. ff. com. prædior.* Sunt enim prædia subjecta servitutum, servitutes eorum adjuncta. At servitutes tanquam adjuncta non possunt esse sine prædiis tanquam subjecto. *l. 129. §. 1. & l. 178. ff. de R. J. in effectu sc. ut revera servitus sit & existat, l. 23. §. 1. ff. de S. V. P. Dn. Arum. Exerc. Justin. 5. tb. 11. Rober. disp. Justin. 8. tb. 4. c) l. duorum. 3. l. si quis 6. in pr. ff. com. præd. d) Jus siquidem domini minuit, alterius augendi gratiâ, ita ut cogatur dominus aut quid non facere in suo, aut alterum facientem pati, quatenus commoda utentis requirunt. *l. quotiens. 15. in fin. ff. de servit. imò ita afficit servitus prædium alienum, ut per omnes ejus partes debeat, & totum prædium serviat. l. si mihi. 21. ff. de S. R. P. Dn. Ortolph. Foman. disp. Justin. 10. tb. 4. lit. C. e) i. 57. ff. de usufr. l. 3. §. fin. ff. quibus modis usufr. amitt. l. 34. in pr. ff. de S. R. P. l. 1. §. & datur ff. de aqua quotid. & æstiv. Vult. 1. J. R. 63. nu. 7. ejus species sunt ususfructus, usus, & habitatio, de quibus jam non acturi sumus.**

### THESIS III.

*Servitus realis est vel rustica, quæ rusticis prædiis*

prædiis a: vel urbana, qua urbanis prædiis b  
debetur.

a) Arg. à contrario sensu ductò ex §. prædiorum *Instit. de servit. urban. & rustic. & t. t. ff. de S. R. P.* & in rusticis servitutibus utriusque prædii vicinitatem exigimus l. 5. l. 7. §. 1. ff. de S. R. P. in urbanis non æquè per l. 7. in pr. & l. 7. §. 1. ff. com. præd. Vult. 1. J. R. 63. n. 50. Treutl. 1. disp. 17. thes. 1. lit. b.

b) d. §. prædiorum & t. t. ff. de S. V. P. sic dicta, quoniam ædificia omnia urbana prædia appellamus, etsi in villa ædificata sunt. d. §. prædiorum. cum urbanum vel rusticum prædium non locus, sed materia faciat. l. urbana. Et ibi Gødd. nu. 2. & seq. ff. de V. S. Oldend. d. loc. pag. 277. Forst. 1. disp. Justin. 7. tb. 6. Dn. Riemer. qq. juridicar. dec. 4. in coroll. 3. Ut autem cognoscatur, an sit servitus urbana seu rustica, inspicitur qualitas prædii, cui servitus debetur, non ejus, quod servitutum debet, & denominatur servitus à prædio dominante, tanquam à digniori, gl. & ibi Dd. in l. 1. verb. alia. ff. de S. V. P. Unde licet via sit servitus rustica, tamen si debetur per fundum tuum domui meæ, dicetur urbana servitus, Schneid. ad rubr. *Instit. de servit. urban. & rustic. n. 8. Oldend. d. l. pag. 276.*

#### THESES IV.

Rusticis servitutibus annumerantur iter a, actus b, via c, Aquæ ductus d: nec non Aquæ haustus e, pecoris ad aquam appulsus f, jus pascendi g, calcis coquenda, h, arenæ fodienda i.

a) Est jus eundi ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum, in pr. *Instit. de servit. urb. & rust. l. 1. ff. de S. R. P.* ubi verbum eundi strictè accipitur, ita ut referatur tantum ad hominem euntem, sive pedibus, sive equo, sive sellâ vel lecticâ l. 7. l. 12. ff. eodem. nec non verbum ambulandi differt ab eundo, ita ut ire sit necessitatis, ambulare voluptatis, Don. 11. com. 6. Dn. P. Theod. ad pr. *Instit. de serv. urb. rust.* Latitudo itineris de jure communi non est determi-

nata, sed à partibus statui, vel etiam ab arbitro seu iudice determinari debet, *l. certo generi. §. latitudo ff. de S. R. P.* secus iure Sax. ubi constitutum, *Dasß ein Stieg soll haben drey Füsse breit / Weichbildt. art. 130. Wes. in parat. ff. de serv. rustic. præd. n. 1.* b) est jus agendi jumentum vel vehiculum, in *pr. Inst. de servit. l. 1. ff. de S. R. P.* itaque, qui iter habet, actum non habet, qui actum habet, & iter habet, vel per consequentiam, quia cum actus sit jus agendi jumentum vel vehiculum, necesse est, ut iter insit actui, vehiculum quippe per se non agitur in illum locum, quò tendit; vel interpretatione juris, eò quod cui plus licet, nimirum jumentum agere, vel vehiculum ducere, eidem etiam quod minus est, hoc est, ire commeari licere debeat, *l. non debet. ff. de R. J. nisi aliter conventum fuerit. l. loci. 4. §. qui iter. 1. ff. si servitutes vindicantur. Rober. Just. disp. 8. th. 6. Mejer. ad tit. ff. de S. R. P. thes. 8.* Jumentum autem hic vel pro armento generaliter accipitur, actus quippe jus agendi est non tantum jumentum, sed etiam cætera pecora. *l. 12. ff. de S. R. P.* vel de jumento exempli tantum causâ dicitur. *Dn. Ortolph. Foman disp. Inst. 10. th. 7. lit. b. Dn. P. Theod. ad pr. Instit. de servit. urb. & rust.* Latitudo actus itidem à jure non est determinata, unde si à partibus non est statuta, arbitrio iudicis determinanda venit. *d. l. certo. §. latitudo. c)* Est jus eundi & agendi, & ambulandi hominis, in *pr. Instit. de servit. urb. & rust. l. 1. ff. de S. R. P.* & qui viam habent, eundi agendiq; jus habent, pleriq; & trahendi quoque, & rectam hastam ferendi, hoc est, ut quis exercitum per alicujus agrum ducere possit, si modò fructus non lædat. *l. qui sella 7. ff. de S. R. P.* Licet verò via sit vel publica, quæ & prætoriam seu consularis dicitur, *Die Herrn Strasse / gemeine offene Strasse / Item des heiligen Reichs Strasse / oder gemeine Landstrasse / l. 2. §. viarum. ff. ne quid in loco publico. cap. un. quæ sint regalia. 2. fol. 56.* vel privata, quæ habetur inter publica, ut vicinalis & agraria, vel privatorum juri cedit, ut sit in patrimonio, ea tamen via privata, quæ cessante viâ vicinali & agrariâ nos ducit per fundum alterius in fundum nostrum, servitutis species est. Non enim per istam viam cuique licet ire &



ire & agere, sed tantum illi, cui servitus constituta est. *d. l. 2. §. viarum. Gæd. ad l. paries. 157. n. 7. & 8.* Quanquam item via latitudo sit octo pedum in longinquo seu porrecto, in anfractu v. h. e. ubi flexum est iter, sedecim. *l. 8. ff. de S. R. P.*; tamen si hoc casu magis exiguum spacium tributum est, quam tribui oportuit, adhuc via erit, *Gæd. d. loc. nu. 8. in fin. Trent. 1. disp. 17. th. 4. lit. c.* d) Est jus aquæ ducendæ per fundum alienum, *in prin. Instit. de servit. rust. & urban. & l. 1. ff. de S. R. P.* Hanc servitutum qui habet, potest ab initio per quamcunq; fundi servientis partem aquam ducere, sed postquam coepit ducere per unam, non poterit postea variando ducere per aliam *l. fin. & ibi Bart. ff. de aqua quotid. & astiv. l. si cui ff. de servitut.* Dominus item fundi dominantis ipse suis sumptibus reficere fistulam & alia instrumenta, per quæ ducitur aqua, tenetur, cum is, qui debet servitutum, non cogatur facere aliquid, sed pati *l. quotiens 15. ff. de servitut. & aliàs regulariter ad eum pertineat refectio, qui servitutum sibi deberi asserit, exceptâ servitutum oneris ferendi l. & si forte §. etiam ff. si serv. vind.* Potest autem hanc facultatem aquam ducendi per fundum suum dominus pluribus in præjudicium primi, si aqua sufficiens non sit, non concedere, *propter l. Impp. in fin. ff. de S. V. P.* quia semper intelligitur facta concessio sine præjudicio & damno alterius *l. 2. §. si quis à principe ff. ne quid in loco publico, nec etiam concedi potest aquæ ductus ex lacu vel stagno l. foramen. 28. & ibi Gothofr. in fin. ff. de S. V. P.* nisi aqua perennis sit. *l. via 23. §. si lacu. 1. ff. de S. R. P. Hotom. 4. observ. 2. Dn. Ortolph. Foman. disp. Inst. 20. th. 9. in fin. Mejer. ad tit. ff. de servit. th. 92.* Quod si fons, ex quo ductus aquæ debetur, exaruerit, & postea ex eodem rursus aqua fluere coeperit, aquæ ductus est restituendus *l. 34. & l. 35. ff. de S. R. P.* e) Est jus hauriendi aquam ex fonte privato *§. inter rusticorum 2. Inst. de serv. rust. & urb. l. 1. §. 1. l. 20. §. fin. ff. de S. R. P.* & concessio haustu aquæ, iter quoque concessum intelligitur, & vice versâ, qui habet aditum ad fontem, juris interpretatione intelligitur quoque habere haustum, *l. 3. §. fin. ff. de S. R. P.* f) Est jus pecus suam ad aquam, hoc est, flumen vel fontem privatum alienum agendi, ut ex

ea bibat, §. *inter rusticorum 2. Inst. de serv. urb. & rust. l. 1. §. 1. l. 4. l. 5. ff. de S. R. P.* Differt autem ab aquæ hauſtu in eo, quod pecoris ad aquam appuſus ad pecora tantum pertineat. *d. l. 4.* Aquæ hauſtus verò ad alios etiam uſus prædii *d. l. 5. Dn. P. Theod. ad d. §. inter rusticorum. 2.* Et ſi quis majorem numerum appulerit, quàm debebat, non in omnibus prohibetur *l. 1. §. Trebatius 10. ff. de aqua quotid. & æſtiv. maximè cum in his, quæ dividua ſunt, utile pcr inutile non vitietur. l. ſi Sponſus 5. §. generaliter 2. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 1. §. ſi mihi ff. de V. O. Treutl. 1. diſp. 17. th. 5. lit. b. Dn. Ortolph. Forman. diſp. Inſt. 10. th. 10. lit. b. g)* Pecoris ſc. in alieno fundo. *d. §. rusticorum & d. l. 1. §. 1. & l. 4. ff. de S. R. P.* In alieno namq; fundo nemo paſcere pecus ſuum poteſt, *l. Quintus l. ſeq. ff. ad L. Aquiliam.* adeò ut proprium habens fundum poſſit collectis frugibus prohibere, quò minus concives & alii incolæ ſua animalia eò paſcendi gratiâ mittant, *per l. 1. 2. 3. C. de paſcuis publ. & priv. Cum herbæ in ſuo natæ ejus ſint. l. 9. l. 7. §. ult. ff. de acquirend. rerum dom. l. 49. §. 1. ff. de rei vindic. Covarr. 2. qq. præct. 37.* niſi quis ibi habeat ſervitutem, conſtitutam vel præſcriptam, & tunc ita uti debet ſervitute, prout in conſtitutione eſt conventum, vel ſervitus illa præſcripta, *arg. l. 1. §. ſi convenerit. ff. de poſiti.* Unde ſi præſcriptum & conventum ſit de paſcendis 100. ovibus tantum in fundo alieno, non licet in eo paſcere boves, ſues, equos, aut majorem numerum ovium adducere, *per l. non modus. C. de ſervit. l. 1. §. Trebatius. ff. de aqua quotid. & æſtiv. Schneid. ad pr. Inſtit. de ſerv. rustic. & urb. n. 31. & 32.* Sic quoque qui jus habet paſcendi ex uno ovili in pluribus locis, in ſingulis ſingula ovilia conſtituere nequit, *Coler. deciſ. 218.* paſcuis denique uti nemo debet cum pecoribus morboſis ſeu peſtiferis. *l. Julianus in pr. ff. de actio. emptio. aut alio tempore ac loco, quàm ut conventum eſt, l. ſi communem. §. 1. l. ſi quis alia in princ. ff. quemadmodum ſerv. am. ſervitutibus enim optimè modus imponi poteſt, l. ſervitutes 4. §. intervalla ſin. ff. de ſervitut. Weſ. in parat. ff. de ſervit. n. 8. in ſin.* Dominus verò prædii ſervientis non poteſt ex paſcuis agrum facere in præjudicium juris paſcendi, quod alter in fundo habet, *l. manifeſtè. 7. l. ſi in adibus 9.*

20.  
a) *adibus* §. C. de servit. nisi certo anni tempore id habeat, Wann  
die Feldmark offen sind/aut talis mutatio non noceat servitu-  
ti pascendi. Nov. Elect. Aug. p. 2. c. 41. Cæpoll. tr. de serv. rust. præd.  
c. 9. nu. 40. Modest. Pistor. conf. 7. in fin. Treutl. 1. disp. 17. th. 16.  
lit. c. b) Est jus calcem coquendi in alieno fundo §. inter 2.  
Instit. de serv. urb. & rustic. l. 1. §. 1. l. 5. ff. de S. R. P. Cæpoll. tr.  
de serv. rust. præd. c. 1. n. 1. i) Est jus fodiendi & tollendi are-  
nam in agro alterius. d. §. inter 2. d. l. 1. §. 1. & d. l. 5. ff. de  
S. R. P.

## THE S I S V.

*Inter urbanas numerantur servitus altius tol-  
lendi a, altius non tollendi b, ne luminibus officia-  
tur c, tigni immittendi d, projiciendi e, protegendi  
f, oneris ferendi g, luminum h, prospectus i, stilli-  
cidii k, cloaca l, positum habendi m.*

a) Quâ tenetur vicinus ad altius tollendum l. 1. l. 2. ff. de  
S. V. P. Licet autem jus altius tollendi videatur esse libertas,  
non servitus, cum quilibet ex permissione juris in suo, etiam  
ad cœlum usque, ædificare possit. l. altius. C. de serv. quia tamẽ  
ex eo sentio utilitatem, cum profit mihi ad arcendum impe-  
tum ventorum, vel præstandam umbram ex eò loco, quò so-  
lem habere gratum non est, rectè jure servitutis vicinum co-  
gere possum, ut altius tollat suas ædes, Cæpoll. tractat. de ser-  
vit. urb. præd. c. 26. n. 1. & 2. Schneid. ad §. 2. Instit. de serv. urb.  
& rust. n. 15. & seqq. b) Quâ vicino nostro contra naturalem  
libertatem imponimus necessitatem, ne ædes suas ultra præ-  
scriptam aliquam certamque & nobis utilem altitudinem,  
extollat. §. prædiorum 1. Instit. de serv. urb. & rust. l. 12. l. 32. ff.  
de S. V. P. Viridaria tamen, quæ nomine ædificii non veniunt,  
super eam altitudinem habere poterit d. l. 12. Wesenb. in parat.  
ff. de S. V. P. n. 3. in fin. Unde si area vel domus vicini mei ste-  
terit non ædificata vel depressa per 1000. etiam annos, non  
prohibetur vicinus ibi ædificare vel domum elevare & altius  
tollere, & obscurare lumina mea l. cum eò 9. l. 11. ff. de S. V. P.

B

nisi

nisi hæc servitus sit imposita vel præscripta. *l. altius C. de servit.*  
vel nisi per consuetudinem aut statutum civitatis esset intro-  
ductum, ut quis invito vicino, nisi ad certam altitudinem,  
ædificare non possit, *l. 1. C. de ædif. priv. Schneid. ad d. §. præ-*  
*diorum 1. nu. 19. Oldendorp. d. loc. pag. 278. c)* quâ quis lumen  
è cælo veniens vicino adimere & obscurius facere prohibe-  
tur, *l. 15. l. 16. ff. de S. V. P.* nec una est cum servitute priori altius  
non tollendi, cui nihil aliud inest, quàm ne vicinus altius  
ædificet, atque ita, si non ædificando, sed alio modo, puta,  
viridariis lumina obstruat, contra servitutum facere non vi-  
detur, *l. ædificia. 12. ff. de S. V. P.* at servitute ne luminibus offi-  
ciatur constitutâ non modò ædificando luminibus officere  
vicinus, qui servitutum debet, non poterit, sed ne ullum  
quidem aliud omninò impedimentum inferre, *l. 15. ff. de S.*  
*V. P.* adeò ut vel arborem ponere, quæ luminibus obsit,  
vel umbram eò loco, cui sol est necessarius, facere prohi-  
beatur, *l. 17. in pr. ff. de S. V. P. Wesenb. in Parat. ff. de S. V. P.*  
*nu. 4.* Unde rectè colligitur, hanc servitutum ne luminibus  
nostris officatur, differre ab illa priori tanquam genus à  
sua specie, & ceu plus continentem opponi illi servituti al-  
tius non tollendi ceu minus continenti. *Hotom. 2. resp. ami-*  
*cab. 5. Treut. 2. disp. 17. th. 2. lit. b. Forst. 1. disp. Inst. 7. th. 10. Dn.*  
*Pet. Theod. ad d. §. prædiorum. Diss. Cujac. 17. obs. 35. Don. 11.*  
*com. 5.* Porrò quandò simpliciter hæc servitus constituitur,  
tunc intelligitur non tantum de præsentibus, sed etiam fu-  
turis luminibus, secus si promittatur cum expressione præ-  
sentis temporis, videlicet ut lumina, quæ nunc sunt, ita sint,  
quia tunc de futuris nihil actum vel cautum videtur, *l. 22.*  
*l. 23. ff. de S. V. P. Wesenb. in Parat. ff. d. t. n. 4. Schneid. & Myn-*  
*sing. ad d. §. prædiorum. 1. nu. 23. & 11. Mejer. ad tit. ff. de S. V. P.*  
*th. 30. d)* quâ licet domino ædium ex pariete suo tignum  
in parietem alterius immittere, *§. prædiorum. 1. Instit. de*  
*serv. urb. & rust. l. 1. l. 2. l. 20. ff. de S. V. P.* Tunc autem immis-  
sum tignum intelligitur, cum in utroque prædio dominan-  
te & serviente quiescit. *l. 25. in pr. ff. eodem. l. 242. §. 1. ff. de S.*  
*V. P.* & qui debet hanc servitutum, solùm ad hoc tenetur, ut  
tignum suscipiat, non etiam parietem reficiat, *l. sicut. S.*  
*distant.*

*distans. ff. si serv. vind.* immissum quoque in meum citra ser-  
 vitutem propriâ auctoritate recidere possum, *l. 29. §. si pro-*  
*tectum ff. ad L. Aquiliam*, quia illud, quod solo meo in aedifi-  
 catum est, solo meo cedit, *§. cum in suo 29. Inst. de rerum di-*  
*vis. l. 7. §. ex diverso 12. ff. de acquirend. rerum dom.* Et sic videor  
 destruere id, quod meum est, & non alterius, ita ut nequeam  
 de violentia aut turbatione accusari, *Schneid. ad d. §. prædio-*  
*rum 1. nu. 6. Hænon. disp. x. 4. th. 11. lit. b.* e) quâ licet domi-  
 no aedium in alienum locum ita projectum habere, ne in  
 alieno requiescat, sed quasi suspensum aedificio cohæreat,  
 ut sunt mœniana & podia, partes sc. domus prominentes,  
 unde spectamus, si quid foris fiat, *d. l. 242. §. 1. Et ibi Gæd. ff.*  
*de V. S. l. 17. in pr. ff. si serv. vind. Don. 11. com. 4. ubi Dn. Hillig.*  
*in not. lit. f.* Unde elegans ratio, cur non æquè projectum  
 ac immissum, nulla constitutâ servitute, propriâ auctori-  
 tate recidere possim, reddi potest. *ex d. l. quemadmodum. 29. §. 1.*  
*ff. ad L. Aquiliam.* f) Quâ tigna emittuntur tegendi tantum  
 causâ, ut si tectum aedium educatur & provehatur in alienum,  
 aut parieti nostro ita affigatur tabulatum aut tegumentum  
 protuberans, ut in alienum protendatur ad arcendum vel  
 solis æstum vel imbrium injurias, veluti sunt suggrundia,  
*l. 1. & l. 2. ff. de S. V. P. Gæd. ad d. l. 242. §. 1. n. 2. in fin. Mejer.*  
*ad tit. de S. V. P. th. 21.* Et hæc à projiciendi servitute tanquam  
 species à genere distinguitur. Protectum quippe est proje-  
 cti species, quia tigna emittuntur tegendi tantum causa *l. 5.*  
*§. 6. ff. de his, qui effud. vel dejec. Don. 11. com. 4. Et ibi Dn. Hil-*  
*lig. in notis lit. g. Treutl. 1. disp. 17. th. 3. lit. b.* g) Quâ colu-  
 mna vel paries onus necessarium aedium aliarum ferre tene-  
 tur. *l. 1. §. 1. ff. de S. V. P.* & speciale est in hac servitute, ut qui  
 eam habet, vicinum ad columnam vel parietem reficiendum  
 compellere possit, *l. cum 33. ff. eod. l. 6. §. 2. l. 8. ff. si serv. vind.*  
*Forst. 1. disp. Inst. 7. th. 8.* Cum autem paries reficitur, domi-  
 nus aedium dominantium tenetur sumptibus suis domum  
 suam fulcire, non verò is, qui reficit, *d. l. 8. in pr.* nisi pactis  
 aliud sit expressè conventum, vel longo usu aliter obser-  
 vatum, *Cæpoll. tr. de S. V. P. c. 37. n. 4. & Schneid. ad d. §. præ-*  
*diorum, 1. nu. 4.* b) Quâ cogitur vicinus lumina nostra, h. e.

fenestras, quibus coeli lumen hauritur, excipere, *l. luminum* 4. ff. de S. V. P. Bocer. class. 5. disp. 8. tb. 47. Et differt à priori, ne luminibus officiat, quâ constitutâ plus consequimur, *d. l. luminum* 4. § l. 23. ff. de S. V. P. Cujac. 1. obs. 4. Hotom. 2. resp. amicab. 4. Forst. 1. disp. Justin. 7. tb. 11. Dissent. Don. 11. com. 5. Hænon. disp. w. 4. tb. 7. lit. a. Nemini autem licet nullâ servitute constitutâ parietem suam aperire & in eo fenestram habere, ex qua in alterius aream vel domum prospicere possit invito domino, *l. eos* 40. ff. de S. V. P. l. 8. C. de serv. Wesenb. in Parat. ff. de S. V. P. nu. 4. Treutl. 1. disp. 17. thes. 3. lit. a. Forst. 1. disp. Just. 7. tb. 7. Dn. Riem. dec. 4. qq. jur. q. 8. Diss. Don. 11. com. 5. Bronch. 2. ass. 5. Bocer. class. 5. disp. 8. tb. 10. Hæn. disp. w. 4. tb. 7. lit. a. i) Quæ duplex, prospiciendi, & ne prospectui officiat. Prospiciendi servitus & jus spectandi ex fenestra mea in prædium vicinum: Servitus ne prospectui officiat, ne quid ad prospectum gratiorem minuendum, & quaquâ versum liberum fiat, *Cæpoll. tr. de S. V. P. c. 31. § 35. Vult. 1. J. R. 63. nu. 62. Diss. Don. 11. com. 5. Robert. 4. sent. 7. k)* avertendi vel non avertendi, *l. 2. ff. de S. V. P. stillicidii avertendi* servitus est, quâ vicinus potest aquam supra tectum suum cadentem in locum vicini avertere & derivare, quod extollere quidem, sed non deprimere licet, quippe q̄ qui servitutum illam habet, nihil possit agere, quò gravior & durior fiat servitus, licet quò levior sit, possit. *l. 20. §. stillicidium* 5. ff. eod. stillicidii non avertendi servitus est, qua vicino prohibet vicinus, ne in suum avertat stillicidium. *l. 1. § l. 2. ff. eod. Vult. 1. J. R. 63. num. 63. Schneid. ad d. §. prædiorum 1. num. 14.* l) Quâ cui licet sordes & immundicias in aut per alterius ædes derivare, *l. jus cloacæ* 7. ff. de serv. urb. præd. n. 10. m) qua vicino non licet in aliquo loco quid ponere, quod quoquo modo nocere meo prædio possit, *l. si quando* 17. §. 1. ff. si serv. vind. Wesenb. in Parat. nu. fin.

## T H E S I S VI.

*Constituuntur & acquiruntur servitutes tam rusticæ quàm urbanæ ab his, qui jus constituendi & acquirendi habent a, in prædiis alienis b, inter vi-*

nos

vos pacto & stipulatione c, in ultima voluntate  
testamento & codicillis d, non minus etiam usuca-  
pione e, ad hoc non ut aliquid faciat quis, sed ut  
aliquid patiat, aut non faciat f, & dominantia  
prædio comparetur utilitas g.

a) Veluti est prædii dominus, §. *ideo* 3. *Instit. de servit.*  
*urb. & rust. l. 1. §. 1. ff. communia prædior.* qui verò prædii do-  
minus non est, licet servitutem in eo constituere nequeat, sti-  
pulatione tamen, si promittat, valet propter id, quod interest,  
*l. 10. l. 46. §. 1. ff. de evict. Mejer. ad tit. ff. de servit. th. 9.* Unus  
autem ex dominis rei communi servitutem nec imponere,  
nec acquirere potest, *l. 2. l. 8. §. 1. ff. de servit.* adeò ut ne qui-  
dem pro parte sua socius in re communi servitutem consti-  
tuere possit, *l. 34. ff. de S. P. R. l. 6. §. 1. ff. communia prædior.*  
cum fieri nequeat, quin simul oneraretur aliena. Pars enim  
illius non continetur regione certâ, sed fusâ per totum fun-  
dum, ita ut necesse sit, servitutem parti acquisitam in totum  
fundum diffundi. Et servitus jus est in corpore, partis au-  
tem indivisæ nullum subest corpus, quia non est, sed intel-  
ligitur, *Cujac. tr. 6. ad Affric. in l. 32. ff. de S. P. R.* Secus si fun-  
dus regionibus sit divisus, & pro divisa prædii parte servitus  
constituatur. Tunc namque non est pars fundi, sed fundus  
*d. l. 6. §. 1. l. 6. §. 1. vers. Celsus ff. quemadmodum servitutes*  
*amittuntur. Treutl. 2. disput. 17. th. 6. lit. b. Rober. disp. Justin. 8.*  
*th. 3.* Quod si vel uterque socius pariter & simul, ut in *l. 6. §.*  
*2. ff. communia prædior.* vel unus sociorum servitutem cesse-  
rit, idemque postea alter socius fecerit, servitutem valere  
dubium non est, cum novissimâ cessione superior confirme-  
tur, *d. l. 6. §. 2. l. ult. in pr. ff. communia prædior. l. 11. ff. de S.*  
*P. R. Azo in summa C. de servit. nu. 20. & 22. Mejer. ad tit. ff. de*  
*servit. th. 16. & 17.* Vasallus quoque si servitutem prædio im-  
poni patiat, ipsi quidem nocet, sed feudo ad dominum,  
vel agnatos redeunte extinguitur, *c. un. in pr. & §. è contrariò*  
*de invest. de re aliena 2. fol. 8.* quia resolutio jure datoris, re-  
solvitur jus acceptoris *l. 31. ff. de pignor. Zasius de feud. p. 2. n. 55.*

*Sobon. 1. disp. feud. 9. th. 53. lit. b. Ubi plures allegat. Idem quoque placet de Emphyteuta & superficiario l. 3. ff. de servit. Azo d. loc. nu. 20. Capoll. tr. de S. V. P. c. 14. n. 2. & 4. Treutl. 1. disp. 17. th. 6. lit. a. Maritus verò fundo dotali æstimato servitutum imponere nequit, l. Julianus ff. de fundo dotal. quia non habet liberum dominium, ut notat Baldus in l. & provinciali. C. de servit. ut nec usufructuarius fundo, in quo habet usufructum, idque ne quidem exemplo vasalli l. 15. §. 7. l. 61. ff. de usufr. Capoll. d. cap. 14. nu. 11. Schneid. ad d. §. ideò num. 4. b) nemo enim ipsi servitutum debet, l. 10. ff. communia prædior. nullumque prædium sibi ipsi servit, l. 5. in pr. ff. si usus. pet. l. 33. §. 1. ff. de S. R. P. l. 26. l. 39. ff. de S. V. P. l. 45. ff. de R. J. c) §. si quis fin. Inst. de servit. rust. & urb. junct. a l. 3. in pr. ff. de usufr. item precariò. l. 2. §. fin. l. 3. l. 15. §. 2. ff. de precar. & emptione. l. ult. ff. de servit. Et in harum constitutione pro possessione usus intervenit, pro traditione patientia d. l. ult. & l. 1. §. fin. ff. de S. R. P. Wesenb. in Para. ff. de servit. num. 9. Sub conditione tamen vel ad certam conditionem, aut ex tempore vel ad tempus constitui non possunt, l. 4. ff. de servit. quamvis ex die aut sub conditione rectè promittantur, l. 98. ff. de V. O. l. 23. §. fin. ff. de S. R. P. Mynsing. ad §. fin. Inst. de de servit. rust. & urb. nu. 9. Rober. disp. Justin. 8. th. 5. d) §. fin. Inst. de servit. urb. & rust. l. 16. ff. communia prædior. l. 4. C. de usufr. l. 31. ff. de V. P. Mejer. ad tit. ff. de servit. th. 32. e) l. 21. in fin. C. de præscript. long. temp. l. 2. l. penul. C. de servit. l. 16. §. 1. C. de usufr. l. 1. §. fin. ff. de aqua pluvia arcenda. l. 5. §. penult. ff. de itinere. act. privat. l. 4. §. 27. ff. de usucapio. decennio inter præsentem, vicennio inter absentes, d. l. pen. C. de servit. Jure Saxon. 30. & uno annis cum sex septimanis & tribus diebus art. 29. & 38. lib. 1. Landrecht. rejectâ distinctione inter continuas & discontinuas, quia quasi possidentur l. 10. ff. si servitutes vind. l. 1. in fin. ff. de S. V. P. l. fin. ff. de servit. & annumerantur immobilibus, l. 13. ubi Gothofred. C. de servit. omnesque habent causam continuam, etsi exercitium interdum intermittitur, l. 14. de servit. l. 24. ff. de S. V. P. animo tamen perpetuo retinetur, §. possidere. Inst. de interdictis. l. possidere 3. §. 7. l. clam 6. §. ult. ff. de acquir. poss. Costal. ad l. 14. ff. de servit. Wesenb.*



*Wesenb. in Parat. ff. de servit. nu. 5. & seqq. Don. 11. com. 11. Mejer. ad tit. ff. de servit. th. 37. & seqq. Dn. Riemer. qq. jurid. dec. 4. quest. 7. Diss. Bart. in l. 2. C. de servitut. Cæpoll. tr. de servit. c. 19. Myns. 4. observ. 53. Geil. 2. obs. 69. n. 14. Schneid. ad S. fin. Inst. de servit. urb. & rust. n. 15. & seqq. Servitus autem cum diuturno usu acquiritur, non opus est necessariò scientiã domini, l. ult. circ. fin. C. de præscrip. long. temp. Rober. disp. Just. 8. th. 2. lit. a. Treutl. 1. disp. 17. th. 9. lit. b. nec titulo. l. 10. & ibi Costal. ff. si servit. vindic. l. 1. C. de servit. l. 1. §. ult. vers. sanè enim. ff. de aqua pluvia. arcenda. Rober. disp. Justin. 8. th. 2. lit. b. Dn. Ortholpb. Foman. disp. Just. 10. th. 12. lit. C. Dissent. Treutl. 1. disput. 17. th. 9. lit. b. Forst. 1. disp. Just. 9. th. 7. f) l. quotiens. 15. §. 1. ff. de servit. Oldendorp. class. 3. action. 4. pag. 384. idq. principaliter. Nam in consequentiam interdum quid vicinus facere cogitur, vel naturã servitutis, vel pacto contrahentium id postulante, l. 6. §. 2. l. 8. §. 2. si servit. vind. *Wesenb. in Parat. ff. de serv. num. 9. g) l. 38. ff. de S. V. P. l. 5. l. 6. §. 1. ff. de S. R. P.* Hinc ergò ut pomum decerpere, spaciari, cœnare in alieno liceat, non est servitus prædii, cum inde nihil ad utilitatem prædii referri possit, l. 8. ff. de serv. *Cujac. 24. observ. 23.* Porro servitute constitutã ultra quàm ad dominantis utilitatem facit, uti nemo potest, l. 5. l. 24. l. 29. ff. de S. R. P. Sic qui aquam per pluvium prædia ducit, neque eorum cuius, neque alio vicino poterit haustum ex rivo concedere, nisi pacto vel stipulatione illud conventum sit, l. 37. §. fin. ff. eodem. Adeoque servitus, nisi quæ prædio utilis est, constitui nequit, l. 15. ff. de servit.*

## T H E S I S VII.

*Quæsitã ita servitute prædio a, si quid deest, sine quo eã rectè uti non possimus, aut ipse usus inutilis sit, id omne unã cum servitute concessum intelligitur b.*

a) Et quidem toti, non uni vel alteri parti, l. 23. §. ult. ff. de S. R. P. in tantum, ut particulatim fundo alienato singulis parti.

partibus debeat, *l. si partem 25. ff. eodem. l. 12. ff. communia pradior. Duar. ad l. 23. §. ult. Donell. 11. com. 13. Hænon. disput. π. 4. th. 26. lit. a.* Quod si fundus, cui servitus debetur, inter plures dominos regionibus divisus, quamvis servitus omnibus partibus debeat, opus tamen est, ut qui proximas partes fundo servienti non habent, transitum per reliquas fundi partes vel jure divisionis vel proximorum patientiâ habeant, *d. l. 23. §. ult. ff. de S. R. P.* Quemadmodum enim in venditione non intelligitur servitus concessa, nisi id expressum sit à contrahentibus, *l. 66. ff. de contrab. empt.* ita & in divisione, quæ venditionem imitatur, *l. 1. C. com. utriusq. jud. Mejer. ad tit. ff. de servit. th. 70. b) arg. l. 2. ff. de jurisd. l. 3. §. 3. l. 5. ff. de S. R. P.* ideo si loco, per quem iter aut via constituta est, uti propter inæqualitatem non possim, licet mihi illum complanare, *l. 10. ff. de servit. l. 20. §. 1. ff. de S. V. P.* ne tamen ultra quàm itineris aut viæ causa necesse est, fiat *d. l. 20. §. 1. Cæpoll. tr. de servit. rust. prad. c. 1. nu. 15. Treutl. 1. disp. 17. th. 11. lit. b.* Et servitute in fundo constitutâ non licet domino fundi servientis aliquid ibi ædificare, per quod impediatur servitus, adeò ut si competat mihi jus eundi vel alia servitus, in tuo fundo & sim in usu seu quasi possessione istius juris, & tu facias ibi sepem vel murum, ut servitute uti nequeam, tunc propriâ etiam auctoritate illud obstaculum amovere, & murum vel sepem pro tuenda qs. possessione destruere possim, *Schneidew. ad pr. Instit. de servit. urb. & rustic. n. 14.*

### T H E S I S VIII.

*Ad acquisitas a servitutes & libertates conservandas prodiæ sunt actiones in rem confessoria & negatoria b. Illa datur ei, qui servitutes sibi competere contendit c, hæc domino qui negat d.*

*a) Non promissas, cum de his ex conventionem & modo, quò servitus promissa est, actio competat personalis, in pr. Instit. de V. O. l. 2. §. 2. ff. eodem. Ant. Fab. 20. conject. 12. Wesenb.*

Wesenb. in Paratit. ff. si ususfr. pet. n. 4. Oldend. d. loc. pag. 281.  
b) Quia ratione rei competunt, §. equè 2. & ibi Dd. communiter Inst. de act. l. 2. ff. commun. præd. l. 4. l. 6. ff. si servit. vind. Et sanè quædam actio propriè confessoria & negatoria dicitur, quædam impropiè. Propriè, quæ & figurâ verborum & vi ipsâ sit ejusmodi: Impropiè, quæ aliud verbis, aliud re ipsa demonstrat. Treutl. 1. disp. 17. th. 13. lit. a. Vult. 1. discept. 5. Hæn. disput. 2. th. 28. lit. d. c) l. ei qui 16. de servit. l. creditori. 9. ff. de nov. oper. nunc. i. 5. & passim ff. si ususfr. petat. non tantum adversus dominum, qui servitute debet, sed omnes omnino, qui impediunt uti servitute, quocunque tandem modo fiat. l. si quis 10. §. agi. ff. si servit. vind. l. uti frui 5. §. utrum 1. ff. si ususfr. petat. Oldend. d. loc. pag. 284. ad hoc ut judex declaret, servitute sibi competere, condemnetq; adversarium, ut patiatu actori frui servitute, nec deinceps impediatur, eoq; nomine caveat, l. un. ubi Bart. C. uti possidetis. c. fin. extr. de restit. spoliat. l. harum 7. l. egi 12. ff. si serv. vind. Forst. 2. disput. Justin. 2. th. fin. lit. d. præstetque omne id, quod interesse potest actoris, creatum sibi impedimentum non esse, d. l. uti frui. §. fin. Wesenb. in Parat. ff. si ususfr. pet. nu. 3. Quod si prædium, cui servitus debetur, plurimum sit, unicuique competit in solidum actio, at in æstimatione ejus quod interest actoris duntaxat persona consideratur, l. loci corpus §. si fundus. ff. si serv. vind. Itaque de jure quidem ipso singuli experientur, & victoria etiam aliis proderit, æstimatio autem ad id quod ejus interest revocabitur, quamvis per unum servitus acquiri non possit, d. l. loci corpus §. si fundus. Oldend. d. loc. pag. 283.  
d) Adversus eum, qui usu aliquo servitutis libertatem rei impedit, & sibi usurpat, Bald. in l. quemadmodum 29. §. 1. ff. ad L. Aquiliam. contra quem dominus per hanc actionem libertatem sui prædii astringit, negatque adversario servitute deberi, unde & negatoria dicitur. Petit enim, ut judex declaret, prædium esse liberum, jubeatque cavere, ne in posterum adversarius ullum jus servitutis usurpet, & quantum interest, præterito tempore non usurpatum fuisse, ut id sibi rependat, d. l. uti frui. d. l. egi 12. Wesenb. in Parat. ff. si ususfr. petat. nu. 6. Forst. 2. disput. Just. 2. th. fin. lit. g. Cæterum

C

has


has actiones etiam pro aliis juribus incorporalibus com-  
petere affirmamus, arg. l. 9. §. 2. in fin. & ibi Gothofr. in not. ff.  
de damn. infecto. Costal. in l. 11. ff. si serv. vind. Treutl. 1. disp. 17.  
thes. 14. lit. b. Forster. 2. disput. Just. 2. th. fin. lit. a. Dissent.  
Vand. 2. q. 27.

## T H E S I S IX.

*Amittuntur servitutes non utendo a, confu-  
sione b, remissione c. non interitu rei d: Servitus  
autem ab herede fundo sub conditione legato impo-  
sita legati conditione existente extinguitur e.*

a) Sed aliter rusticæ, aliter urbanæ. In illis enim requi-  
ritur, ut nemo servitute constitutâ sit usus, tum ut ne usus  
per totum constitutum tempus: in his præter hæc duo requi-  
ritur, ut is, qui servitute debet, vicino non utente simul  
& ipse per idem tempus libertatem ædium suarum usuce-  
perit, l. si sic 7. l. 18. ff. quemadmodum serv. amitt. l. hæc autem 6.  
ff. de S. V. P. l. 4. §. ult. ff. de usuc. b) Si idem utriusq; prædii do-  
minus esse cæperit, l. 1. ff. quemadmodum serv. amitt. & si partis  
tantum Dominus fiat pro parte retinetur servitus l. 8. §. 1 ff. de  
serv. l. 30. ff. de S. V. P. Perindè atq; cum plurib. fundis iter mi-  
hi debentibus medium acquiri, l. 15. ff. quemadmodum servit.  
amitt. Treutl. 1. disp. 17. th. 16. In tantum autem confusione  
amittuntur servitutes, ut etiam si rursus dominus vendat, &  
deberi sibi servitute velit, de novo imponenda sit d. l. 30. l.  
quicquid 10. ff. commun. prædior. Hænon. disp. 4. th. 30. lit. c.  
c) l. ad certum 6. l. si servitutes 14. §. 1. ff. de servit. Remissio  
autem non solum verbis fit, sed etiam si re aliquâ vel facto  
id ipsum se velle dominus declaraverit, l. si stillicidii 8. ff. quem-  
admodum servit. amitt. modò nihil precario concessum sit  
l. si precario 17. ff. com. præd. Wesenb. in Parat. ff. si serv. vind.  
nu. 3. d) Sic in servitute stillicidii, si sublatum sit ædificium,  
ex quo stillicidium cadit, servitus ea non perit, sed eadem  
qualitate & specie stillicidium reponendum est, l. 20. §. 2. &  
ibi Costal. ff. de S. V. P. & in servitute altius non tollendi, vel  
non efficiendi luminibus, priori ædificiò destructo vel sub-  
lato,

latō, is qui eam servitutem debet, novum ædificium, si quidem ædificare velit, contra veterem formam & priorem modum extruere nequit, l. 31. ff. eod. l. 1. C. de servit. Donell. lib. 11. com. c. ult. in fin. Dn. Arum. Exerc. Justin. 5. thes. 15. Dissent. Wesenb. in Parat. ff. quemadmodum servit. amitt. n. 4. e) l. 11. §. 1. ff. quemadmodum servit. amitt. l. si fundum. l. 105. ff. de condit. & demonstr. id autem heres jure facere potest, quia pendente conditione dominus est, l. 12. §. 2. ff. famil. hercis. l. 66. ff. de rei. vind. Quod si acquisite quædam interea fuerint servitutes, legatarium sequuntur, d. l. 11. in fin. Donell. 11. com. 17. Wes. in Parat. ff. quemadmodum serv. amitt. Treut. 1. disp. 17. tb. 16. lit. c. Hænon. disput. 4. tb. 30. lit. a.



Præstantissimo Dn. Respondenti.

**E**N tua ubi votis mens consecrata Minervæ  
 Non Veneris meditatur opes, nec epos, nec Fachî  
 Pocula voce vocat studiis, sed nocte dieque  
 Immoriens patuli sinuosa volumina juris  
 Volvit, nec refugit bellâ sub imagine belli  
 Aonidum publicæ sese concredere arenae,  
 Non trepidans clypeos, quos arte Sophista rotare  
 Norit, & adversam in partem objectare reflexos;  
 Sancta Themis gaudet, quod non LATONA cerebro  
 Te vacuum genuit, sed cui mens conscia recti,  
 Quâ queat affectus stolidos frenare stolones.  
 Sancta Themis gaudet, simul & de culmine celso  
 Te vocat, & virides ultrò sua dona corollas  
 Ostendit, præbetque manus, ut pectore motus

Con-

*Concipias, carpasq; vias, & in ardua, fertis  
Tempora ubi cingat tua sacra Themis, juga tendas.  
Ergò iter inceptum ne siste, sed abdita juris  
Volvere perge animo, nunc sub munimine scuti  
Præsidis arma armis atque enses ense retunde,  
Indolis & legum obstruosos dissolve recessus;  
Sic decus æternum referes, Themidisque trophæa,  
Extollesq; tuum nomen super astra perenne.*

Suo conterraneo & amico gratulatur

M. Johannes Wenckius.

FINIS.



ULB Halle  
005 132 614

3




W 17









1618, 16 18  
35.  
TIBUS  
US,  
TUNANTE  
ci ac Nobilissimi  
n Ordinis,  
DIO  
CI *W*efferkorn  
IGETÆ.  
ac Politis. suis  
disquisitionem  
T MARUS  
rigeta.  
co consuetis.  
Æ  
APH. JOHANNIS  
II,  
XVIII.

